



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

VII. Quid, & quotuplex sit Cambium, & an licitum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

aliquid ex lucris, quæ Censuarius suâ industriâ acquirit; ergo redit ratio superius allata. Additur verò, *quantum est ex natura rei.* Siquidem juxta citatam Bullam B. Pij V. secundum quam Censibus non nisi in re immobili frugifera constitui potest, secus esset dicendum.

69. Objicies generatim contra omnes Censibus. In venditione aut emptione Censuum intervenit Mutuum virtuale, seu quasi Mutuum: ergo & Usura palliata. Antecedens probatur: nam in re idem est, emere pro 1000. florenis Censum annum 50. florenorum, ac mutuos dare 1000. florenos sub lucro 50. florenorum per singulos annos recipiendo; cum utrobique Summa capitalis salva maneat. Resp. negando assumptum, cum sua probatione: multiplex enim est differentia inter Censum, & Mutuum. Prima est: quia in Censu emitur jus percipiendi certos fructus ex re, vel personam alterius: in Mutuo, utpote quod gratis fit, nullum tale jus emitur.

Solvitur ob-
jectio con-
tra Censum.

Inter Cen-
sum & Mu-
tuum diffe-
rentia mul-
tiplex.

I.
II.

70. Secunda differentia inter Censum, & Mutuum est: quia Mutuatarius cogitur similem in specie, ac bonitate rem mutuum, seu sortem reddere, imò ad eam reddendam vi Mutui se obligat: secus fit in Censu, ubi Censuarius vi hujus contractus (secluso pacto redimendi ad arbitrium emptoris, utpote prohibito per Bullam B. Pij V. aut nisi Censuarius velit sponte Censum redimere) non tenetur reddere sortem, sed duntaxat annuam pensionem.

71. Tercia differentia est: quia in Mutuo sub Usuris, obligatio principalis est ad sortem reddendam, & accessoria ad usuras: in contractu autem censuali principalis obligatio est ad reddendam pensionem annuam, nulla ad sortem, nisi quis velit Censum redimere. Tandem nullus justus titulus potest assignari recipiendi aliquid ultra sortem vi Mutui, ut patet ex dictis 7. 19. & seqq. secus fit in Censu juxta proximè dicta.

III.

QUÆSTIO VII.

Quid, & quotuplex sit Cambium, & an licitum?

72. **C**ONCL. I. Cambium generatim idem est, quod permutatio: sed ex usu vulgato, & quantum attinet ad propositum, accipitur pro permutatione numismatum;

Cambium,
quid?

III

cum; solétque communiter definiri, dicendo: *Cambium* est permutatio pecuniæ pro pecunia; & vulgò dicitur, ein Wechsel.

Et quomodo differat à Mutuo?

73. Differt autem Cambium à Mutuo, quòd contractus Mutui unicâ pecuniæ traditione perficiatur, quæ reddi debet post temporis intervallum: Cambium verò, cum sit quædam species Permutationis, *do, ut des*, non antè perfectum censetur, quàm utrinque pecuniarum traditio facta sit. Deinde Cambium semper fit ob aliquam diversitatem pecuniarum ultrò citròq; dandarum, cuius diversitatis ratio in Mutuo non habetur.

Campfor & Campfarius, quis?

74. Porrò ille, à quo petitur pecunia permutanda, dici solet *Campfor*: alter verò, ad cuius petitionem pecunia ipsi commutatur, *Campfarius* appellatur.

Cambium reale, & siccum.

75. CONCL. II. Cambium dividitur in reale, & siccum. Ita communis. *Cambium reale* est legitima permutatio pecuniarum, ex qua iustè aliquid lucri capi potest. *Cambium siccum* vocatur, quòd non est verum Cambium, sed fingitur esse, eò quòd imaginem quamdam Cambij præferat: ut, quando habetur sola ratio temporis, aut quando fingitur alibi solutio facienda, & fit eodem loco cum usura. Et dicitur, *siccum*: quia caret humore, seu justo titulo ad pariendum lucrum. Unde huiusmodi Cambia sicca, tanquam usuraria, damnavit B. Pius V. in Bulla de Cambijs edita, quæ incipit, *in eam pro nostro* (& habetur tom. 2. Bullarj Romani, *Constit. 118. dicti Pont.*) quamvis cæteroquin in ea appelleret *Cambiorum usum legitimum, & quem necessitas, publicæque utilitas induxit*: quòd de Cambijs realibus, ritèque usurpatis intelligendum.

Cambium minutum, &

76. CONCL. III. Cambium reale subdividitur in minutum, & locale. *Cambium minutum*, est permutatio numismatum diversæ rationis, & speciei: ut si major pecunia, utputà Dugatus, cum minore, vetus cum nova, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum cuprea, vetita cum legitima permutatur. Et dicitur, *Cambium minutum*: quia in eo frequentius pecuniæ grandiores cum minoribus commutancur, v. g. Dugatus, vel Daleus cum sestertis, aut crucigeris. *Cambium locale* est illud, in quo pecunia præsens commutatur cum pecunia distante in alio loco. Dicitur etiam *Cambium per litteras*, quia plerumque litteræ dantur, quibus mandatur correspondenti, ut in illo altero loco pecuniam solvat.

In Cambio minuto licet aliquid

77. CONCL. IV. In Cambio minuto licet aliquid, legi definitum, accipit Campfor à Campfario supra valorem nummi permutati. Ita omnes Doctores. Siquidem, ut benè notat B. Pius

B. Pius V. in Bulla proximè citata, hujusmodi Cambiorum ut sum necessitas, publicaque utilitas induxit: alioquin enim ad-
venæ, & peregrini, in terris alienis vix possent aliquid emere, cum non eadem moneta ubique sit in usu; ac proinde non usua-
lem oportet commutare pro usuali, mediante isthoc Cambio
minuto.

78. Porrò titulus in Cambio minuto accipiendi plus, quam dandi, est multiplex. Primus est locatio operæ & obsequij, quod Campsor præstat congregando omnis generis pecunias, quæ per-
mutari petentibus possint, atque paratum se præbendo ad eas-
dem commutandas secundum Campsarium voluntatem. Alter
titulus est lucri, vel commodi cessantis: nam sæpè accidit, ut
unum genus monetæ plures, easque pretio æstimabiles com-
moditates habeat, quam alterum. Tertius est labor numeran-
di pecuniam. Plures similes titulos refert Lessius lib. 2. cap. 23.
dubitat. 2.

79. Quæres, an si famulo, vel nuntio tradam centum Du-
gatos in auro, ut solvat meo creditori, non curans, qua specie id
fiat; & ille Dugatos illos prius commutet pro moneta argentea
cum lucro, eaque postmodum solvat creditori, retento lucro, li-
cite id fiat, vel potius teneatur talis ad restitutionem illius lucri?
Resp. talem non teneri ad restitutionem lucri. Ita Lessius loc.
cit. n. 18. & alij. Ratio est: quia illud lucrum est fructus indu-
striæ, proveniens ex negotiatione pecuniaria, famuli industriæ
& periculo factâ; ac proinde nec domino pecuniæ debetur, nec
etiam suo creditori, utpote cui integrè per aliam pecuniam
satisfit.

80. Dicitur notanter in casu posito, non curans, qua specie id
fiat. Nam si mens domini erat, ut illam pecuniæ speciem utputâ
centum Dugatos in auro, famulus suo creditori traderet. eò quòd
cuperet illi gratificare, vel dare occasionem lucri, tunc peccaret
famulus, commutando pecuniam illam in aliam speciem cum
lucro: quia ageret contra justam domini intentionem. Unde
si exinde alteri sequatur damnum, tenebitur ad restitutionem, seu
recompensationem illius.

81. CONCL. V. Etiam in Cambio locali licitè potest ali-
quid à Campsore lucrari, idque varijs ex titulis: sic v. g. si Camp-
sor Monachij accipiat à Campsario 100. florenos, datis eidem
litteris, ut Romæ à suo correspondente accipiat tantum 95. vel
quid simile, cum deductione alterius justî, & consueti Campso-
rum

rum lucri sive auctarij, licitè id fit. Ita Doctores communiter; & patet ex citata Bulla B. Pij V. Siquidem hunc Cambiorum usum necessitas, & publica utilitas induxit; ne videlicet in terras remotas abituri, summo cum incommodo, quin & periculo, magnum pecuniæ pondus semper secum portare cogantur.

Titulus accipiendi plus in Cambio locali.

82. Cæterum causa, seu justus titulus plus accipiendi, quàm postea dandi, inprimis est accessorius Contractus locatæ operæ ad pecuniam formaliter, vel virtualiter transferendam in locum, quò Campsarius vult. Si enim Monachio Romam usque centum florenos transferre deberes, multum laborem, periculúmque subiturus es; hoc autem onere te liberat Campsor, cum in se recipiat obligationem numerandi tibi Romæ conditam pecuniam cum magna tua commoditate: atqui tale obsequium est pretio æstimabile, ut patet; ergo. Et ex hoc fit, ut quò longius distat locus, ad quem Cambium instituitur, & quò periculosior via, eò majus auctarium exigi possit, & soleat.

Alij Tituli.

83. Secundus titulus, quo lucrari potest Campsor in hoc locali Cambio, & assecuratio, ac præstatio periculi. Siquidem Campsor accipiens hic pecuniam aliò trajiciendam, non solum suscipit onus transferendi pecuniam illam, sed etiam periculum, ut si pereat, non danti, sed ipsi Campsori pereat: atqui præstare tale periculum trajectionis, atque assecurationem, est pretio æstimabile, ut constat; ergo. Accedunt alij tituli, ac præsertim illi, qui in simili de Cambio minuto procedunt, ac *num. 78.* referuntur.

Cambium sicum est illicitum, ac usurarium.

84. CONCL. VI. Cambium sicum est illicitum, ac usurarium. Ita declaravit B. Pius V. in citata Bulla de Cambijs, quæ incipit: *In eam pro nostro.* Et talia sunt illa, in quibus ex intentione contrahentium post aliquod tempus cum lucro fit solutio in eodem loco, eò quòd alter alibi pecuniam non habeat, ut jam *n. 75.* explicatum.

Quid de conditionibus Cambio reali præscriptis?

85. Tandem sciendum, quòd B. Pius V. in citata Bulla quasdam conditiones in Cambijs realibus observandas præscripserit: verùm notat Leslius *cit. cap. 23. n. 93.* quòd eadem paucis in locis, & fortè nullibi (saltem quoad omnes conditiones) sint usu receptæ.

QUÆ.